



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Reiffenstuel, Anaklet

Monachii, 1699

III. De jure præsentat[i]o[n]i, aliisque juribus Patrono competentibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40206

VI. Jus pa- 41. Ultimò differunt Jus patronatùs Ecclesiasticum, & Lai-
tronatùs cale, quoad Concursum: nam hic quoad Parochiales Eccle-
Ecclesiasti- sias, etiam si sint Juris patronatùs Ecclesiastici, præmittendus est,
cum, & lai- juxta Concilium Trid. *Sess. 24. cap. 18. de Reform.* Secùs est de
cale, diffe- Parochijs, quæ spectant ad Jus patronatùs Laicorum: nam
runt quoad tunc non est locus Concursum, sed is solus examinari debet,
Concursum, quem Patronus laicus præsentavit; & si dignus reperitur, in-
stitui.

A Concur- 42. Notat tamen Engel *tit. de Prab. n. 67.* per Bullam B. Pij
su, quæ alia V. *Ad exequendum* (& habetur tom. 2. Bullarij Romani, *Constit.*
Parochiæ 47. *disti Pontif.*) à præfato Concursum esse exceptas Parochias Mo-
exceptæ? nasterijs, vel alijs Ecclesijs incorporatas, in quibus non propriè Pa-
rochus, sed Vicarius ponendus est.

QUÆSTIO III.

De jure præsentandi, aliisque juribus Patrono com-
petentibus.

Patrono 43. **C**ONCL. I. Patrono sive Ecclesiastico, sive laico præci-
quatuor ju- puè quatuor jura competunt in Beneficio Ecclesiasti-
ca compe- co, respectu cujus habet Jus patronatus; videlicet Jus
tunt, quæ? præsentandi, præcedendi, defendendi Ecclesiam, atque ut ex bo-
nis Ecclesiæ eidem indigenti modestè succurratur. Ita habetur
c. Nobis. de Jure patron. & complectitur Glossa ibidem hæc ver-
ficulis:

*Patrono debetur honos, onus, utilitasque:
Præsentet, præsit, defendat, alatur egenus.*

Jus præsen- 44. **C**ONCL. II. Jus præsentandi Clericum idoneum ad Be-
tandi, quo- neficium Ecclesiasticum, sive simplex, sive curatum, postquam va-
modo com- caverit, ad eò competit Patrono, ut Episcopus, vel is, ad quem spe-
petat Patro- ctat institutio, teneatur eundem cæteroquin habilem admittere,
no? atque in dicto Beneficio instituere. Ita desumitur ex *cit. c. Nobis.*
de Jure Patron. Dicitur, *Clericum idoneum.* Nam si hic sit indignus, Pa-
tronus laicus tenetur alium præsentare: Patronus verò Ecclesia-
sticus pro ea vice privatur jure præsentandi, ut dictum n. 33.

Beneficium 45. **C**ONCL. III. Beneficium Ecclesiasticum sine consen-
sine consen- su, & voluntate Patroni, regulariter loquendo conferri nequit
su Patroni &

& si de facto collatum sit alteri, quam illi, quem Patronus præsentavit, potest ad instantiam ejus collatio annullari, ipsoque instante debeat is, qui sine suo consensu institutus fuit, amoveri. Ita statuitur c. Ex insinuatione. de Jure patr. juncto c. Decernimus.

16. q. 7.
46. Dicitur, regulariter loquendo. Nam hinc imprimis excipitur casus, si Patronus intra debitum tempus à Jure definitum neminem præsentavit: tunc enim pro ea vice devolvitur collatio Beneficij ad eum, ad quem cæteroquin pertinet institutio, c. Cum propter. & c. Eam te. de Jure patr. Deinde valet collatio, si Summus Pontifex de plenitudine potestatis conferat Beneficium, derogando expressè Jure patronatus, ut jam dictum num. 39. Idem accidit, quando Patroni in præsentando discordant, & præsentatus à majori eorum parte non potest sine scandalo institui: tunc enim Episcopus ordinabit Ecclesiam, sicut melius eam secundum Deum viderit ordinandam, c. Quoniam eod.

Fallit hoc in certis casibus.

47. Dicitur ulterius in Conclusionem, potest ad instantiam ejus collatio annullari. Siquidem collatio Beneficij extra dictos casus absque Patroni præsentatione facta, non est ipso jure nulla & irrita, sed tantum potest per Patronum contradicentem irritari; si nempe is alium præsentet, aut expressè contradicat. Unde si terminus Patrono competens post collationem per Episcopum factam fuerit elapsus, non reclamante, nec contradicente Patrono, manet collatio omnino firma. Barbosa part. 3. de offic. & potest. Episc. allegat. 72. n. 171. citans plures alios.

Collatio Beneficij sine consensu Patroni non est ipso jure irrita, sed irritanda.

48. CONCL. IV. Patronus, quamvis sit Clericus, & cæteroquin idoneus, se ipsum ad Beneficium Ecclesiasticum præsentare non potest. Ita communis; & patet ex c. Per nostras. de Jure patr. Ratio est: quia præsentatio sui ipsius sapit vitium ambitionis. Concordat illud D. Gregorij Papæ, ac refertur c. In scripturis. 8. q. 1. Sicut locus regiminis desiderantibus negandus est, ita fugientibus offerendus. Et sicut scriptum est: Nec quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Hebr. 5.

Patronus nequit se ipsum præsentare.

49. Cæterum si Prælati, ad quem spectat institutio, motu proprio vocet Clericum Patronum, eique conferat Beneficium vacans, in quo dictus Clericus habet Jus patronatus, valebit collatio: quia tunc Patronus non censetur præsentare se ipsum, aut Beneficio sese ingerere; sed Beneficium sibi oblatum acceptare, adeoque in collationem ejus sibi factam consentire. Pirhing tit. de Jure patr. n. 92. Imò posset hoc casu Patronus Clericus

Prælati tamen potest Patrono conferre Beneficium.

ricus

726 *Tract. XI. De Beneficijs, Jure patronatus, & Decimis, Dist. III.*
ricus procedere per viam deprecationis & supplicationis, ac rogare Episcopum, ut sibi conferre velit illud Beneficium; atque exinde poterit Ordinarius illum gratificando admittere. *Barbosa lib. 3. Juris Ecclesiast. univ. cap. 12. n. 199. Abbas in c. Per nostras. de Jure patr. & alij.*

Possunt plures Patroni unum ex se ipsis presentare.

50. Insuper si plures sint Patroni, possunt illi ex se ipsis unum Clericum Compatronum nominare, & presentare: nam quamvis Clericus Patronus non possit presentare se ipsum, potest tamen presentationi de se per Compatronos factæ consentire. *Glossa in c. Consuluit. eod. Barbosa part. 3. de offic. & potest. Episc. alleg. 72. n. 91. & alij.*

Patronus potest presentare suos filios, vel consanguineos.

51. **CONCL. V.** Nihilominus non est prohibitum Patrono, ad Beneficium presentare filios suos, aut alios consanguineos. Ita Engel *tit. de Jure patron. num. 3. cum communiore.* Et merito: tum, ne hi sint deterioris conditionis, quam alij, quorum parentes nullum fundarunt Beneficium. Tum, ne ipsummet Jus patronatus, quod in favorem Fundatoris, ejusque hæredum introductum est, in ipsorum odium retorqueatur; contra *Reg. 61. Juris in 6. Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum, cum concordantijs.*

Quid juris, si plures sint Patroni, & discordent in presentando?

52. **CONCL. VI.** Si plures sint Patroni ejusdem Ecclesiæ, vel Beneficij, & hi in presentando discordent, alijs hunc, alijs alium presentantibus, præfertur is, qui majoribus juvatur meritis, & plurimum approbatur assensu; modò id sine scandalo fieri possit. Ita habetur *c. Quoniam. de Jure patron. estque communis.* Et quidem in tali casu sufficit presentatio facta à majori parte respectu minorum partium, dummodò presentatus cæteroquin sit idoneus: veluti si ex sex Patronis duo presentent Titium, unus Sempronium, & tres Cajum, hi tres prævalent, ac præfertur Cajus, *arg. cit. c. Quoniam. & notat ibidem Fagnanus n. 13. cum alijs.* Additur verò, *modò id sine scandalo fieri possit*, propter dicta *num. 46.*

Præfertur si duo presententur ab eis in pari numero?

53. **CONCL. VII.** Si autem duo sint presentati à pluribus Patronis in pari numero, vel si ex duobus Patronis unus presentavit unum, & alter alterum, nemini eorum acquiritur jus petendi institutionem. Ita Fagnanus *in c. Cum autem n. 23. eod. & alij.* Ratio est clara: quia ad hoc, ut presentatus acquirat jus ad Beneficium, & consequenter jus petendi institutionem, requiritur, quòd presentatio sit facta à majori parte Patronorum, *arg.*

arg. cit. c. Quoniam, de iure patr. ibi: Si forte in plures partes fundatorum se vota dividerint, ille præficiatur: Ecclesia, qui majoribus iuratur meritis, & plurimorum eligitur & approbatur assensu.

54. CONCL. VIII. Præter ius presentandi, ulterius Patrono Ecclesiæ debetur honor. Ita communis; & patet ex c. Nobis de iure patr. ibi: Pro fundatione quoque Ecclesia honor processionis fundatori servatur. Porro honor Patrono debitus consistit in præcedentia Processionis, quatenus in Litanij, ac alijs publicis Processionibus debetur ipsi locus dignior præ alijs Laicis. Item quod is in Ecclesia sua patronata debeat honorari per præcedentiam honorabilioris sedis, & dignioris loci, atque anterioritatem in suscipienda Pace, churificatione, & alijs consimilibus casibus. Barbosa lib. 3. iuris Eccles. univ. cap. 12. n. 214. cum alijs.

55. CONCL. IX. Insuper competit Patrono jus, seu potius onus defendendi Ecclesiam. Ita habetur c. Filijs, 16. q. 7. Unde Patroni munus est, ut curam & inspectionem habeat quoad Ecclesiam & ejus bona, ne malè alienentur, aut dilapidentur; & quid in detrimentum Ecclesiæ fieri deprehenderit, neque Beneficiarius honestâ monitione præmissâ desistere velit, id Episcopo denuntiet, prout ibidem dicitur. Item ipsius munus est, ut Ecclesiam intra & extra Judicium defendat, tanquam ejus patronus & advocatus: hoc quippe nomine ipse appellatur in c. Praterca, & c. Cum autem, & c. Nobis, de iure patr. & alibi.

56. Nontamen debet Patronus veram aliquam jurisdictionem in Beneficium usurpare; neque in ijs, quæ ad Sacramentorum administrationem pertinent, ullatenus seseingere; neque visitationi ornamentorum Ecclesiæ, aut bonorum stabilium seu fabricarum proventibus se immiscere (nisi id Patrono ex primæva institutione, ac fundatione competat) sed Episcopi ipsi hæc faciant, juxta Concilium Trid. Sess. 24. de Reform. cap. 3. circa finem.

57. CONCL. X. Tandem Patrono convenit, ut, si ad inopiam vergat, ab Ecclesia illi modestè succurratur. Ita his verbis habetur cit. c. Nobis, de iure patr. juncto c. Contra, & c. Quicumque. 16. q. 7.

58. Dicitur notanter, modestè succurratur; id est, habito respectu ad facultates Ecclesiæ, & ad qualitatem personæ, ut bene explicat, & probat Glossa ibidem. Hinc Barbosa lib. 3. Jur. Eccl. univ. cap. 12. num. 217. notat, quod tunc primum Ecclesia teneatur dare alimenta Patrono pauperi, quando superest ultra

id, quod necessarium est ad cultum Dei, atque Ministrorum alimenta. In quo casu sunt præstanda Patrono alimenta in domo propria, non autem in ipsa Ecclesia: & quidem non solum pro se, sed etiam pro uxore, filijs, atque familia: ac insuper alimenta integra, id est, cibus, potus, vestis, lectus, & alia omnia, quæ sub alimentorum nomine continentur, dummodò (ut dictum) Ecclesiæ suppetant facultates.

DISTINCTIO IV.

De Decimis,

QUÆSTIO I.

Quid sint Decimæ, Primitiæ, & Oblationes?

Decimæ,
quid?

1. **C**ONCL. I. *Decimæ* sunt pars decima omnium fructuum iuste acquisitorum, Deo in recognitionem sui dominij universalis debita, atque Ecclesiæ Ministris quotannis exsolvenda. Ita in re communis; & desumitur hæc definitio ex *v. Tua nobis. de Decimis*, ibi: *Decimæ, quas Deus in signum universalis dominij sibi reddi præcepit, suas esse decimas & primitias asseverans: juncto c. Decimas Deo. 16. q. 7. & c. Ex transmissio. de Decimis, cum concordantijs.*

Decimarum
solutio est
actus Reli-
gionis, &
Justitiæ.

2. Unde colligitur, quòd solutio Decimarum, quatenus solvuntur à Fidelibus ob Dei cultum, atque in signum supremi ejus dominij in omnes res, & quòd ab ipso bona cuncta procedant, sit actus virtutis Religionis: quatenus verò spectatur, prout est debita Ecclesiæ Ministris, nobis spiritualia præbentibus, sit actus Justitiæ.

Qui frau-
dant Deci-
mas, quo-
modo pec-
cent?

3. Hinc illi, qui fraudant Decimas, peccant & contra virtutem Justitiæ, & contra virtutem Religionis; criminèque committunt *Sacrilegij*, c. *Decimas* quas. 16. q. 7. Insuper fraudantes Decimas, tum in *c. Omnes decimæ. 16. q. 1. & c. Tua nobis. de Decimis*, tum in Concilio Trid. *Sess. 25. c. 12. de Reform. excommunicari jubentur*, ibi: *Cùm decimarum solutio debita sit Deo, & qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas invadunt, &c. Qui verò eas aut subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur: nec ab hoc crimine, nisi plenâ restitutione secutâ, absolvantur. Hactenus Concilium.*

Jubentur
excommu-
nicari.

4. Cæ